

ARTICULUS II.

*Utrum peccatum veniale aliquo modo
diminuat habitum charitatis?*

I. Diminutio charitatis, vel ejuscumque habitus supernaturalis potest fieri, vel ex subtractione causæ influentis, vel ex indispositione causæ suscipientis; sicut e contra ex meliori dispositione subjecti augetur charitas. De primo modo diminutionis non loquimur hic, quia certum est posse Deum diminuere habitum charitatis per subtractionem influxus, sicut et totaliter destruere. Sed etiam constat, quod de facto Deus sine culpa hominis non tollit aliquid de habitu supernaturali, quia sine penitentia sunt dona, et vocatio Dei, ut dicitur Romanorum undecimo. De secundo autem diminutionis modo agimus hic, et cum constet peccato mortali non tantum diminui, sed totaliter destrui charitatem, restat inquirere utrum diminuatur per peccatum veniale.

II. In qua quæstione sententia negativa ut communis omnium theologorum, uno vel altero ex antiquioribus excepto, certissime tenenda est. Cujus fundamentum tradit D. Thomas a priori hic quæst. xxiv, art. x. Deinde vero ab inconvenienti, et quasi a posteriori traditur ab aliis recentioribus. A priori quidem id ostendit S. Thomas, quia charitas nec effective, id est, physice, nec demeritorie et moraliter potest minui per peccatum veniale; ergo nullo modo. Antecedens constat, quia affective diminui non potest, charitas enim est ordinativa circa finem ultimum, qui est Deus; peccatum veniale non est deordinativum a fine ultimo, nec privationem rectitudinis ejus inducit, sic enim esset mortale: ergo non sunt circa

idem, atque adeo physice non opponuntur, sicut privatio auditus non opponitur visui. Demeritorie etiam non diminuit, quia qui delinquit in minori non meretur pari detrimentum in majori; sic enim non esset proportio inter demeritum et pœnam, magisque Deus se averteret ab homine, quam homo a Deo; sed peccatum veniale nullo modo avertit a fine: ergo nullo modo meretur pati detrimentum in habitu ordinante circa finem, qualis est charitas.

III. A posteriori autem urgetur hæc ratio, quia si veniale peccatum minueret charitatem, tandem corrumpere illam, atque adeo sine peccato mortali posset homo amittere gratiam et gloriam, cujus oppositum supponit fides in Concilium Tridentinum sess. vi, capite xi, ubi docet: « Ob peccata venialia in quæ cadunt sancti non desinere esse justos: » quod stare non potest si peccata venialia possunt corrumpere charitatem. Unde omnes qui conantur respondere huic argumento negant consequentiam, scilicet quod tandem per veniale peccatum corrumpere charitas, et varias assignant rationes. Quidam dicunt peccatum veniale solum minuere charitatem per partes proportionales, atque adeo etiamsi infinita peccata venialia sint nunquam exhaurient quantitatem charitatis; alii quod ultimum peccatum veniale fit mortale ex circumstantia destruendi charitatem; alii quod gratia sicut minuitur per venialia, ita reparatur, et crescit per bona opera, quæ justus exercet, si diu permanet in gratia; ideoque nunquam peccata venialia consumunt habitum charitatis, quia semper reparantur; alii quod ultimus gradus nunquam est amissibilis per peccatum veniale, bene tamen omnes alii, quia tollere alios est diminuere; tollere ultimum non est diminuere, sed destruere.

IV. Cæterum omnes istæ solutiones, aut principium petunt, aut voluntarie loquuntur. Nam prima non habet fundamentum unde constet peccata venialia diminuere per partes proportionales: et licet per motum continuum possit diminui proportionaliter aliqua quantitas, per motum tamen discretum, qualia sunt plura peccata venialia, quæ diversis temporibus committuntur, id non potest intelligi. Nam quando committitur unum peccatum veniale, vel tollit partem includentem, et divisibilem in alias partes, vel non. Si non includit partes: ergo non est pars, sed indivisibile, cujus non est dare partes; indivisibile autem ablatum a divisibili non minuit. Si autem tollit partem habentem alias partes, et divisibilem in alias, hoc ipso includit infinitas partes proportionales, quia quælibet pars divisibilis est in alias partes: unde si uni peccato veniali solum correspondet una pars proportionalis, et illa tollitur, cum tollatur in quantum divisibilis, necesse est tolli infinitas partes proportionales, in qua illa dividi potest, et sic tantum mereretur unum peccatum veniale, quantum infinita, quia infinitas partes tollit.

V. Secunda solutio est chimerica, quia ille qui habet ultimum gradum charitatis, qui tolli potest per primum peccatum veniale, teneretur sub mortali vitare omnia peccata venialia, quia per quodlibet, destrueretur charitas: hoc autem est impossibile, cum nullus possit omnia venialia peccata vitare, ut definit Concilium Tridentinum. Et quomodo posset aliquis obligari hoc præcepto, cum non possit scire quando est in ultimo gradu charitatis? Tertia solutio non tangit difficultatem, quia non semper homo justus reparat per bona opera id quod perdit per venialia; potest

enim aliquis uno die, vel etiam mense non exercere aliquod opus bonum, et committere innumera peccata venialia sufficientia tollere gratiam, præsertim remissam, si quodlibet eorum aliquid tollit de gratia. Denique ultima solutio non assignat rationem quare gradus ille charitatis quando est ultimus non possit tolli per peccatum veniale, cum illi correspondeat diminutio illius gradus; ex eo enim quod ultimus sit peccatum veniale non amittit rationem demeriti, quia nec rationem culpæ: ergo, si meretur ut tollatur tanta quantitas gratiæ, quanta in subjecto restavit, non potest salva justitia illud demeritum privari sua retributione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VI. Contra prædictam communem resolutionem arguitur primo: Quia peccatum veniale opponitur fervori charitatis, et minuit illum ut communiter docet S. Thomas præsertim in part. quæst. lxxxvii, art. ii, et cum eo omnes theologii; non autem opponitur fervori qui est actus, hic enim etiam sine veniali peccato per solam cessationem actus tollitur, ut patet in dormiente, si ergo nihil amplius tollit peccatum veniale quam fervorem actus charitatis, idem facit veniale quod somnus. Nec posset assignari quomodo peccatum veniale manet habitualiter in anima si nihil amplius tollit quam fervorem actus; debet ergo tollere fervorem habitus, qui est aliqua perfectio illius habitualis, et non potest assignari alia quam intensio: ergo si hoc diminuit peccatum veniale, diminuit habitum charitatis.

VII Respondetur (omissis aliis) peccatum veniale diminuere et corrumpere de fervore intrinseco, qui est

intensio habitus, sed solum impedire promptitudinem, et applicationem illius ad ordinandum in finem illam materiam circa quam peccatur venialiter; unde macula venialis non importat privationem corrumpentem formam habitus, sed impedientem applicationem ejus, ut dicit S. Thomas 1-2, quæst. LXXXIX, art. I, et III part. quæst. LXXXVII, art. II et III; Idque explicat exemplo candoris, et pulchritudinis quæ maculari potest vel per privationem corrumpentem aliquid candoris vel decoris, vel per extrinsecam appositionem alicujus impedimenti, verbi gratia luti, vel pulveris impediens ne candor appareat. Quare peccatum veniale non opponitur fervori intrinseco charitatis, sed extrinseco, qui est promptitudo quædam, et carentia impedimenti ad operandum circa aliquam materiam, quia per adhæSIONEM inordinatam venialis peccati ad aliquid temporale impeditur charitas exercere circa illam materiam ordinem in finem actualiter, et virtualiter. Et sicut D. Thomas 2-2, quæst. LXXXII, art. I dicit, quod devotio est quædam promptitudo, quæ consistit in motione, et applicatione debita voluntatis ad cultum divinum; ita charitas cum moveat omnes actus, et virtutes ad finem, debet habere promptitudinem ad applicandum, et movendum omnem materiam ad finem, et si in hac applicatione impeditur propter aliquem affectum inordinatum circa aliquam materiam, dicitur minui fervor illius quantum ad promptitudinem applicationis, non quantum ad intensionem habitus. Et quia potest homo habitualiter retinere illum affectum inordinatum non retractando illum, ideo dicitur minuire fervorem habitualiter, quia habitualiter impedit applicationem, sicut qui ligatur brachio habitualiter non potest movere illud quamdiu est

ligatus, licet nihil amittat de virtute motiva intrinseca.

VIII. Secundo arguitur: Quia ad remissionem peccati venialis oportet quod aliquid habituale ponatur in anima: nam macula peccati venialis privatio habitualis est: ergo per aliquid habituale debet expelli: ergo etiam e contra macula venialis expellit illud habituale, et sic diminuitur habitus per venialia, si quidem aliquid habituale tollere est habitum diminuere.

IX. Multa solent disputari ab expositoribus D. Thomæ circa remissionem peccati venialis ad quæstionem LXXXVII tertiæ partis. Pro præsentem sufficit dicere, quod ad tollendam maculam corrumpentem, et privantem intrinseco aliqua forma necesse est infundi formam, seu habitum oppositum: ad tollendam vero maculam impediens, etiamsi impedimentum habituale sit non requiritur infusio novæ formæ ut ait D. Thomas citato loco, art. II ad tertium. Sed hoc ipso quod tollitur impedimentum extrinsecus appositum, forma manet libera et expedita. Sic ergo peccatum veniale habitualiter manens in anima, cum non attingat ipsam charitatem in se, sed per affectum inordinatum circa aliquam materiam temporalem impediens charitatis applicationem, et ordinationem erga illam materiam, aut virtutem; inde est, quod quilibet actus, qui formaliter, aut virtualiter retractat illum affectum inordinatum, expellit peccatum veniale, non addendo aliquam formam, sed tollendo impedimentum, quod habitualiter retardabat applicationem charitatis: sicut removens columnam non addit gravitatem lapidi ut descendat, sed tollit impedimentum.

X. Dicunt tamen aliqui auctores, et valde probabiliter, quod licet non ponatur nova forma resultat tamen

novus modus in charitate per ablationem impedimenti, qui modus etiam per peccatum veniale tollitur, quia sicut lapidem esse liberum ab impedimento ut descendat, et brachium non manere ligatum ut se moveat, et candorem non habere lutum ut appareat, licet sit ablatio impedimentorum, inde tamen resultat aliquis modus in ipsis rebus, qui dicuntur expedita, et quasi modificata ad agendum. Ita charitas ex ablatione impedimenti quasi expeditur, et resultat in ea modus quidam non intensionis formæ, sed expeditionis a contrario impediens, quia intensio est modus radicationis in subjecto: iste autem modus est promptitudo applicationis, et ordinationis erga alias materias. Alii dicunt, quod solum est extrinseca denominatio macula relicta ex peccato veniali, et sic sufficit elicere actum, ut dicatur tolli sine resultantia novi modi.

XI. Tertio arguitur: Non est inconveniens quod veniale aliquando tollat charitatem ratione alicujus circumstantiæ: ergo non est inconveniens quod diminuat. Consequentia patet, quia ideo negatur, quod venialia minuant charitatem ne deveniamus ad hoc quod per aliquod veniale charitas corrumpatur: si ergo non est inconveniens, neque erit inconveniens quod diminuat charitatem. Antecedens vero probatur, quia consuetudo frequens venialium est proxima moralis dispositio ad cadendum in mortale; sed tenemur vitare omnes proximas occasiones morales peccandi mortaliter: ergo illa frequentia peccati venialis ratione hujus periculi ita obligat ad sui evitacionem, quod si non evitetur charitas omnino tollitur.

XII. Respondetur, quod in isto casu frequentia venialium (si esset verus casus) non esset peccatum veniale, sed mortale ratione proxi-

mæ dispositionis ad tollendam charitatem, sed hoc incidit in sententiam supra refutatam de veniali tollente ultimum gradum gratiæ, quod hoc ipso fieret mortale: non enim est possibile tale præceptum imponi homini de vitando illo peccato ultimo sub mortali, quia non potest scire quando est ultimum. Sic etiam non potest scire determinate quando est frequentia sufficiens ad proximam dispositionem ad mortalem, ut teneatur illam sub mortali evitare. Unde dicendum est communi sensu theologorum apud D. Thomam 1-2, quæst. LXXXVIII, art. IV, quod nec omnia peccata venialia de mundo, quanto magis frequentia unius, possunt habere de reatu tantum quantum unum peccatum mortale, sed solum dispositive faciunt peccatum mortale. Si autem frequentia venialium esset talis proxima dispositio ad mortale, sine dubio frequentia venialium faceret peccatum mortale, ratione illius circumstantiæ periculi.

XIII. Dico ergo, quod frequentia venialium non est dispositio proxima per se loquendo, et directe, sed per accidens, aut per quamdam consequentiam, ut dicit S. Thomas ibidem articulo tertio. Et distinguo inter dispositionem proximam quasi objectivam et extrinsecam momentem, et inter dispositionem quasi negativam et ex parte agentis se tenentem; nam objectum, seu occasio attrahens proxime ad peccatum mortale debet evitari sub mortali, quia efficacia objecti in attrahendo, cum sit extra nos, non est ita facile impedibilis, nec debemus confidere ut occasionibus nos committamus. Cæterum per peccatum veniale disponitur agens quasi negative dum minus subicitur ordine debito, et destruitur exercitio, et fervore charitatis, unde facile labitur in mortale. Hanc autem dispositionem non

magis tenemur evitare quam ipsa in se ordinata sit ex natura sua, scilicet sub peccato veniali.

XIV. Ultimo arguitur: Non videtur assignari sufficiens disparitas in aliquibus exemplis. Nam in primis non est ratio cur dicamus quolibet demeritorio non minui, præsertim cum possit esse aliquod veniale ita demeritorium, sicut aliquis actus remissus est meritorius. Item: Non est ratio cur habitus acquisiti sola negligentia et cessatione actuum minuatur, habitus autem infusi non minuantur negligentia venialium et cessatione actuum. Denique in amicitia humana, leviores offensæ minuunt ipsam amicitiam, et communicationem ejus: ergo etiam in divina. Quod et ipsa experientia videtur comprobari, cum ex frequentia venialium tepiditas magna consurgat, quæ est signum diminutionis charitatis, sicut ferventior, et expeditior conatus est signum augmenti: ideoque tam sancti quam patres sollicitè nos admonent de vitandis venialibus quæ si nimium crescant ipsam charitatem faciunt periclitari, et destrui.

XV. Respondetur esse disparitatem in istis exemplis. In primo quidem, quia omnis actus meritorius est ordinatus ad finem ultimum vitæ æternæ, illamque meretur; actus autem venialis non est deordinatus a fine ultimo, et si non potest mereri privationem aliquam habitus charitatis ordinantis in vitam æternam. In secundo exemplo, habitus acquisiti non minuuntur, et corrumpuntur sola cessatione actus directe sed occasionaliter, quatenus cessante actu insurgunt actus contrarii, quibus tollitur habitus, vel

obliviscimur objecti, a quo habitus dependet. Supernaturalis autem habitus non tollitur aliquo actu, nisi inducat privationem corruptivam illius, quo veniale peccatum non facit, licet disponat per impedimentum charitatis, ut insurgat actus peccati mortalis destruens illam.

XVI. In tertio exemplo, non minuitur amicitia humana per offensas leves, quamdiu cognoscuntur esse leves, et qui ideo amicitiam minueret quantum ad interiorem amorem irrationabiliter procederet: bene tamen possunt impedire aliquam communicationem extrinsecam, sicut faciunt peccata venialia. Vel secundo, amicitia humana multum dependet ab extrinseco, ita quod sola cessatione communicationis potest dissolvi, quæ si per leves offensas impediatur, dissolvetur tandem amicitia. At vero amicitia divina consistit in habitu infuso semper de se permanente, nisi culpa mortali tollatur. Neque experientia aliquid in oppositum comprobatur, quia illa tepiditas non est ex diminutione intrinseca, sed ex impedimento extrinseco; quod si tollatur poterit etiam habere fervorem charitatis promptitudinis, et applicationis erga illam materiam ordinandam in finem sine hoc quod intrinsecus habitus charitatis reddatur intensior: unde non est sufficiens signum augmenti, aut diminutionis intrinsecæ. Scriptura autem, et partes quando commendant evitacionem venialium, non dicunt venialia minuere charitatem intrinsece, aut corrumpere, sed sufficit quod dispositivè. Et hæc etiam sufficiant per totam istam materiam.

QUÆSTIO LXIV.

DE HOMICIDIO.

Absolute tractatu de virtutibus theologicis eodem fere ordine procedit S. Thomas ad explicandas virtutes cardinales, quæ sunt prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia, et in qualibet quinque considerat. Primo, ipsam virtutem secundum se: secundo, partes ejus: tertio, donum ei correspondens: quarto, vita opposita: quinto, ejus præcepta. Inter pertinentia autem ad materiam justitiæ primo occurrunt partes subjectivæ, seu species illius, quæ sunt tres, scilicet justitia legalis, distributiva, et commutativa: cum enim constituat ordinem ad alterum potest iste ordo considerari vel inter partem, et partem, id est, inter duas personas privatas; vel inter totum et partem vel e converso inter partem et totum. Primo modo constituitur justitia commutativa, secundo modo distributiva, quatenus a capite derivatur ad partes reipublicæ conveniens distributio, tertio modo est justitia legalis, qua quælibet persona respicit bonum commune, et debitum legis.

Explicatis jam speciebus justitiæ, et earum actibus agit S. Thomas de vitiis oppositis. Et primo, de peccato opposito justitiæ distributivæ, quod est acceptio personarum, quæ attendit ad conditionem personæ, et non ad proportionem cum præmio. Et de hoc agit quæstione LXIII. Secundo, agit de vitiis oppositis justitiæ commutativæ, quæ sunt in multiplici differentia, et ita agit de illis usque ad quæstionem LXXVIII. Possunt autem sic in ordinem redigi. Nam justitia commutativa versatur circa commutationes rerum: possunt autem commutationes istæ fieri vel cum consensu, et voluntate utriusque partis, et sic proprie sunt actiones commutativæ: vel possunt fieri altero invito seu patiente, et sunt commutationes involuntariæ. Circa commutationes involuntarias potest committi injustitia, sive injuria, vel facto, vel verbo: facto vel in personam propriam, vel in conjunctam, vel in res possessas. Si primo modo aut fit injuria per homicidium, et de hoc agit S. Thomas quæstione LXIV, vel per poenalem tractationem personæ ut per mutilationem, verberationem, incarcerationem, etc. Et de hoc agit quæstione LXV. Si in personam conjunctam, vel in uxorem per adulterium, vel in filiam per stuprum, vel in consanguineam per incestum, et de his agit infra tractando de speciebus luxuriæ. In res autem possessas fit injuria si accipiantur invito domino, vel per furtum occulte vel per rapinam manifeste, et violenter. Et de hoc agit quæstione LXVI.

Quot vero modis fiat injuria verbo, sive in judicio, sive extra judicium considerat deinceps sanctus doctor, et nos in præsentem omittimus, latius enim de his egimus in tractatu de connexionione partium, et ordine quæstionum, ubi ista videri possunt, ad tractatus de homicidio, et irregularitate a vobis expostulatos proferantes. Quos quidem sub brevitate perstringemus articulos D. Thomæ, ubi opus fuerit unica commentatoria disputatione percurrentes.